UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

6. An vna gutta olei sufficiens in vnaquaque Vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Ex quo infertur, vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem Baptismi. Ex part. 3. tr. 4. res. 176. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

teram enim illo vti oleo, quod ipſi ſigno Crucis benedicebant. Ita Bellarminus.

## RESOL. VI.

*An vna gutta olei ſit ſufficiens in vnaquaque vnctione, ad conferendum Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Ex quo infertur, vnam guttã aquæ ſufficere ad validitatem Baptiſmi.* Ex par.3.tr.4.Reſ.176. alias 177.

Sup.hoc inf. in Reſ. 22. §.vlt.

§.1. NEgatiuam ſententiam docet Filliucius *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *num.*78. vbi ſic aſſerit: Dico quamlibet vnctionem tantam eſſe debere, quanta ſatis eſt, iuxta communem modum loquendi. Verùm vt rationẽ vnctionis attingat in particulari, non videtur ſatis vnã guttã olei ſtillare, ſed opus eſt perfundere partem ſenſus, id enim eſt vngere, Ita ille.

2. Sed pro probabilitate partis affirmatiuæ habeo validum argumentum; nam ex doctrina Reginaldi *in praxi, tom.*2.*lib.*28.*cap.*9.*num.*13. Suarez, & aliorum, id quod de quantitate aquæ circa Sacramentum Baptiſmi aſſeritur; hoc etiam de quantitate olei circa Sacramentum Extremæ-Vnctionis aſſerendum eſt; ſed probabiliter multi DD. vt *ſupra* viſum eſt, tenent vnam guttam aquæ ſufficere ad validitatem Baptiſmi. Ergo vna ſtilla olei dicitur etiam vngere. Sed tu Lector cogita.

Supr. in Reſ. quæ hic eſt in tom.1. tr. 1.Reſ. 50.§. 1. & 2. & in aliis eius primæ annot.

## RESOL. VII.

*Quidam Sacerdos vnxit infirmum cum oleo veteri, quæritur, an peccauerit mortaliter?*

*Ex quo ſequitur eſſe peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die, quàm Feria quinta Paraſcenes, vel illud ſingilis annis non renouare.*

*Et notatur, quod ſi Sacerdos per errorem vngeret infirmum non oleo, ſed ſacro Chriſmate nihil eſſe repetendum.* Ex p.3.tr.4.Reſ.175. alias 176.

Sup. hoc inf. in Reſ. 19. §. Item curſim. in princip & in Reſ. 8. & in aliis eius primæ not.

§.1. AFfirmatiuam ſententiam docet Zambranus *de caſibus occurrentibus tempore mortis, cap.*5.*dub.*4.*num.*5.*& ſeq.* vbi *num.*14. ſic concludit: Ex dictis ſequitur eſſe peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die quàm feria quinta, vel illud ſingulis annis non renouare, vel veteri vti extra neceſſitatem. Ita ille.

2. Sed hæc aliquibus non probantur, nam vt ait Ledeſma *in ſum.tom.*1.*de Sacram.Extremæ-Vnct. cap.*2.*in fine.* [No es cierto que aya preceto de renouar el azeyte de los enfermos cada año, aunque ſe ſuele hazer aſi: Pero de la Chriſma ſe halla claro preceto del derecho de que ſe renueue.] Et Henriquez *lib.*3.*cap.*8.*num... in fin.* aſſerit abſolutè, quod ñon eſt de præcepto renouare oleum ſingulis annis. Ex his aliquis probabiliter poſſet reſpondere, non peccaſſe mortaliter ſupradictum Sacerdotem vngentem infirmum oleo veteri. Sic determinaũit Henriquez *lib.*2.*cap.*29.*num.*3. vbi ait, quod non prohibetur vngere infirmos veteri oleo, & *in gloſſa, littera V.* notauit ita Theologos, & vtriuſque iuris peritos Salmenticenſes poſt longam conſultationem determinaſſe.

Sup.hoc in Reſ. 1. not. præteritæ §. Item poterit. ad med.

3. Sed mihi magis placuit prima ſententia, non tamen damno ſententiam Henriquez, renouandum eſſe quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Eccleſia, vel in piſcinam iniiciendum; ſi verò non ſit aliud oleum, niſi vetus, poteſt inſtante morte fieri cum illo Extrema-Vnctio, & ad hunc finem ſeruari debet vetus, quovſque nouum habeatur: vide etiam Layman *in Theol. Moral.lib.*5.*tr.*8. *cap.*2.*num.*4. qui etiam *num.*3. adnotat, quod ſi Sacerdos per errorem vngeret infirmum, non oleo, ſed ſacro Chriſmate, probabiliter dici poſſe videtur nihil eſſe repetendum, ſed rem Domino commendandam; tum quia plerumque non poſſet fieri iterata vnctio ſine ſcandalo, tum quia valde probabile eſt, Sacramentum Extremæ-Vnctionis validè conferri in materia ſacri Chriſmatis. Ita Layman.

## RESOL. VIII.

*An moribundo ſit miniſtranda Extrema-Vnctio cum oleo alterius anni?*

*Et docetur, vrgente articulo mortis, perfici poſſe Sacramentum Extremæ Vnctionis breuiſſima, & tenui linitione vnius oculi, auris, manus, narium, & oris etiam abſque ſigno Crucis, & ſub vna forma communi:* Per iſtam ſanctam Vnctionem, &c.

*Et an ſit neceſſaria vnctio pedis?* Ex p.5.tr.3.Reſ.90.

§.1. LIcet non videatur à peccato excuſandus Sacerdos, qui miniſtraret hoc ſacramentum cum oleo veteri, nã debet eſſe benedictum eoanno, vt habetur *in cap. literis, de conſecrat. diſtinct.*3. tamen vbi neceſſitas vrgeret, poterit Parochus vngere moribundum oleo veteri, & ita declarauit ſacra Congregatio Epiſcoporum *die* 20. *Martij* 1590. teſte Gauanto *in enchir. Epiſcop. ver. Extrema-Vnctio, num.*10. & docet Emanuel Sà *ver. Extrema-Vnctio, num.*6. Zambranus *de ſacrament. Extrem.Vnct.cap.*5. *dub.*4.*num.*15. & doctiſſimus Barboſa *de officio Parochi, cap.*22. *num.*25. vbi *num.*30. rectè aduertit cum multis Doctoribus in caſu neceſſitatis, eo quod periculum ſit in mora, poſſe Sacerdotem ſine culpa inungere vnam aurem, vnam manum, aut vnum oculum, & tunc cauſa celebrandi propter periculum inſtantis mortis, vnctiones ſine Cruce fieri nihil obſtat. Et ideò non grauabor etiam hic apponere auctoritatem Villalobos *tom.*1. *tract.* 10. *difficul.*3.*num.*3. vbi ſic ait. [Que harà el Sacerdote quando vè al enfermo que eſtà agonizando con peligro de morir ſe antea de recebir todas eſtas vnciones. Reſpondeo, que en tal caſo vnia todos los organos de los cinco ſentidos, los quales eſtan en la cabeça, excepto el tacto, y para el baſta vngir vna mano, diziendo: *Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum.* Lo qual puede hazer breũemente tocando los organes de los ſentidos, ſin deterneſe a hazer cruzes, y en tal caſo las preces que ſe auian de dezir primero, las dirà deſpues. Mas eſto no lo ha de hazer comunmente, ſino en caſo de tan grande aprieto, como queda dicho, y ſi tuuiere lugar añade: *Quidquid peccaſti per greſſum*, y vnja vo pie, que ay ſentencia de algunos Doctores que diga, que eſſo es neceſſario.] Ita ille. Vide etiam meipſum *in* 3. *part. tractat.*4. *reſolut.*168. & Tannerum *tom.*4. *diſput.*7. *quæſt.* 1. *dub.*1.*num.* 19. vbi docet, vrgente articulo mortis perfici poſſe ſacramentum Extremæ Vnctionis breuiſſima, & tenui linitione vnius oculi, auris, manus, narium, & oris, etiam abſque ſigno Crucis, & ſub vna formula communi: *Per hanc ſacram Vnctionem*, &c.

## RESOL. IX.

*An ſi Parochus portet domi oleum Extrema-Vnctionis*